

in Italia stipendio domum redire statuissent, Emusque interea legatus exercitu adducto itinera clausisset: ut reverti ejus voluntate sibi liceret, ab eo petiverunt. Ille armis depositis iter facere jussit. Sed cum iisdem in locis atque in Vicetinorum saltibus anno insequente inito Germani saepenumero se ostendissent, ut in fines reipublicæ irrumperent, omnino neque in eo perfecerunt quicquam ipsi, neque a Venetis ulla est res paulo illustrior gesta: neque oppidum quodpiam nobilius captum, aut cædes aut fuga hostium memorabilior facta: tametsi Aloisius rex, qui saepe Senatum per legatos oratione magnifica confirmaverat, se se eum nunquam deserturum, ipsum etiam, si necesse sit, reipublicæ auxilio venturum, Trjultium cum copiis in castra Veneta misisset, & Senatus Andream Grittum legatum magna cum manu eodem accedere jussisset. Nam cum duos uno tempore legatos Senatus creavisset, Grittum & Georgium Cornelium, ut alter in Rhetos, alter in Carnos proficeretur (inde enim etiam in reipublicæ ditionem velle perrumpere Germanos literis nunciisque afferebatur) iis uti sorte imperia partirentur, Patres permiserunt: ita Gritto Rheti, Cornelio Carni provincia obtigit. atque in Rhetis quidem hunc unum res eventum habuerunt, ut repressi & repulsi saepe hostes ex reipublicæ ditione atque imperio nullum sibi iter patefecerint, nihil omnino ceperint, amiserint autem potius ultimis belli diebus montanum oppidulum Agrestam. at in Carnis, qua nihilo secius Germani aditum in reipublicæ fines tentaverant, Livianus, qui exercitui præterat, & Cornelius legatus, rem sane publicam naviter atque feliciter gesserunt. Nam cum mense februario rumor increbruisset, hostium non parvam coactam in Carnis manum eo ab latere bellum illaturam adventare, Daniel Dandulus Feltriam a Senatu missus est, rebus, quæ ex usu essent, procurandis, commeatuque exercitui, qui eo venturus erat, durissimo anni tempore locis impeditissimis subministrando. Gradiscas quoque castellum apud Sontium flumen arte atque opere communatum, Justinianus Maurocenus Senatu

juben-

1507

1508